
Nicolaus Alesius.


1598.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1

42.–108.

DA BOX

LN 1051
ex. 1
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1

ECLOGA ΓΑΜΙΚΗ
IN HONOREM
REVERENDI NEC NON DOCTISSIMI VIRI Dn̄. MAGISTRI NICOLAI ALESII, Eccleſiarum BVNCHEFLODII ac HYLLIÆ Paſtoris, qvondamq; præceptoris ſui ſummâ obſervantiâ colendi,

SPONSI,

&

CASTISSIMÆ VIRGINIS, PIETATE ET LIBERALIBVS moribus dotatæ, HELENÆ, Dn̄. LAVRENTII IOHANNIS, Anteceſſoris ſui cariſsimi piè defuncti relictæ Filiæ,

SPONSÆ,

Anni CIↃ. IↃ. IIIC. die VIII. Calend. Maij Nuptias celebrantium, gratitudinis ergò ſcripta

à

BOETHIO LAVRENTIO MALMOGIENSI.

7036

HAFNIÆ
Impreſſa Typis Iohannis Stockelmannj.

M. D. XCVIII.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

David Gilbrite

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1

Colloqvutores
PHILOGYNES, MISOGAMVS, PALÆMON.

PHIL. DIc mihi MISOGAME, ut patrijs depulſus ab oris
Hæc in rura venis? Animo ſententia ſurgit
Qvænam, dum campos virides & florida prata,
Fœcundosq́ agros & pingvia paſcua linqvis?

MIS. Huc me per varias adigit Fortuna procellas
Inconſtans, vento ſimilis maleſidaq́ cunctis:
Ac veluti vaſto nantes in gurgite Claſſes,
Qvùm validi volvunt venti mare magnaq́ ſurgunt
Æqvora, diſperſæ cæcis verſantur in undis:
Havd ſecus ignotis Paſtorum in finibus ipſe
Paſsibus ambiguis infelicißimus erro.

PHIL. Ebria Fortuna eſt, titubat, nec ſemper eodem
Perſiſtit greſſu, rapidisq́ fugacior undis.

MIS. Neſcio qvæ mihi luxerunt infavſta recenter
Sydera naſcenti, (lachrymæ teſtantur idipſum)
Duxi eqvidem totam qvi extrema per omnia vitam.

PHIL. Afflictis ſuperi melius confidere rebus
Nos docuêre Dij, tandem & ſperare ſalutem:
Huic ſuccede Caſæ, Solis dum præterit æſtus,
Pabula dum pecudes armentaq́ læta remandunt,
Cantemusq́ aliqvid, (namq́ otia damnat APOLLO.)

MIS. Incipe, pellantur curæ, tu namq́ paratus
Cantare eſſe ſoles, lepidos & dicere verſus:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1

Non te, etſi certet, poterit ſuperare canendo
ORPHEVS, ſi certes, dicat ſe carmine victum:
Paſcua nec melius cecinit te, & triſtia bella
TITYRVS, ardebat qvem tantùm magnus ALEXIS.
TITYRVS, ardebat qvem tantùm magnus ALEXIS PHIL.
Paſcua, Rura, Duces dixit qvondam ſimul, at nunc
Fœmineas tenui modulabor arundine lavdes.
Antè tamen, ſiqvidem in gelidâ reqvieſcimus umbrâ
Dic mihi, (triſtitiam facies namq; arguit ipſa)
Dic mihi qvid mœſtas volvis ſub pectore curas?
Ne pudeat ſocio mentis te aperire receſſus.
Si vacet annales omnes memorare dolorum MIS.
Antè diem veſper clavdet: Cognoſcere caſus
Sed ſi tantus amor noſtros, tibi pavcula dictis
Expediam è multis, prohibent nam cætera curæ.
Paſtor erat MELIBOEVS, oves (pervenit ad avres
Si nomen MELIBOEI unqvam) paſcebat & agnos,
Dives opum, pecudum, nivei & qvàm lactis abundans:
Hujus ego viduam, qvam poſt ſua fata reliqvit,
Scilicet ah demens ſtricto mihi fœdere junxi.
Idem animo mihi ſat dudum fixumq; ſedebat, PHIL.
Qvod nuper nexu complevi ſponte jugali,
* Ter qvinos natam, credo, vel circiter annos
Selectam jungens magno mihi amore LYCORIN,
Lavtaq; concelebrans veteri convivia ritu:
Conduxi interea * ſeptem mercede miniſtros,
Glandilegos raſiq; ſues in tempore * qvinq;,

Fortes * bis ſenos (cernis nam tergora) taVros
De grege * ter totidem pingVes lectasq; bidentes
Mactavi, * centumq; cados reſerare fluentes
PaVlatim mihi cura fuit, ſed grata, Lyæo:
PAN oVium cuſtos, unci monſtrator aratri
SYLVANVS, Vigiles aderant pecorumq; Magiſtri:
Et VENVS Ignipotens, cui Vincla jugalia curæ,
Et Dryades, Muſæ ſylVeſtres, cumq; NEÆRA
THESTYLIS, ac Nymphæ nemorum florumq; decentes:
Pocula ſiccabant læto ſpumantia Baccho,
*Sex qVoq; condebant grato certamine Soles,
Et * totidem Vario noctes ſermone trahebant.

MIS. Te qVoq;, qVem ſapere & ſemper Paſtoribus ajunt
Præferri multis, furor & dementia Vexant?

PHIL. Tute Videre mihi raptus de cardine mentis,
QVi tua commemoras corám connubia primus.

MIS. At fateor, non Vxorem, ſed diVitis aVri
Pondera qVæſiVi, caVlas & dote refertas,
Fœmineum exoſus ſexum faculasq; jugales.

PHIL. Iactatur dictum, VENERIS qVod limine pictum
Templi, ſerVatu ſemper dignumq; relatu:
Si propter caVlam, mulierem ducis, & aVlam,
Principium facti ploras, & pœnitet acti
Ante annum, lethum cupis, & faciet tibi fletum:
QVod tibi continget, niſi me ſententia fallit.

MIS. Non mihi continget, nam contigit omne qVod infers:
Aſpice detraxit manibus barbam iſta comantem,
VngVibus & vultus laceraVit lumina ut uncis:

SæVior

Sævior hac peſtis nulla eſt, immanior ullus
Nec Dæmon, (mihi qvod fagi de vertice cornix
Alta ſedens, ploransq́ infelices hymenæos
Prædixit:) Fugiat qvicunq́ ſapit mulieres,
Qvarum animis mala qvæq́ ſedent immota ſuperbis.
Perge modò ut cæptum eſt, et ſolus habeto DIANAM, PHIL.
Nec non fortè aderunt, qvùm te tua fata vocârint
Pierides, dextrisq́ ſuis morientia clavdent
Lumina, & extincto crudeli funere tandem
Velamenta dabunt, omnes tua funera flebunt
Carmine Hamadryades triſti, (ſi credere dignum eſt)
Flebunt, & ſaxo lachrymantia lumina tergent.
Abſtineas deridere atq́ laceſſere dictis MIS.
Me levibus rogo, nam ſatis eſt incommoda ferre.
Solliciti pecudes nos paſcimus, ab mulieres
Depoſitis ſed alunt ſua lavtè corpora curis:
Dextris oſtentant extenſis annulum & avrum,
Ad plantas geſtant imas qvoq́ tergora lyncis,
Qvas occulta fames premit & mortalis egeſtas:
Qvæq́ ACHERONTA ſolent magicis extrudere ab orco
Carminibus, capſisq́ veneno includere plenis:
Et ſegnes cubitum gallos imitantur eundo,
Surgendo porcos: Numero comprendere qvanta,
Paſtorum pecus hoc, qvis poſſet, inutile ſecum
Noxia fert donec vitales duxerit avras?
Vana refers, nec digna bonis Paſtoribus unqvam PHIL.
Avditu, * bis qvinq́ tuæ faſtidia menſes
An neſcis matri qvondam tàm longa tuliſſe?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1

MIS. *At ne vana putes, rediens ego nuper ab urbe*
His oculis (mihi crede) meis hæc omnia vidi:
O ſi eſſent omnes raptæ PHLEGETONTIS *ad undas.*
PHIL. *Neſcio qvis tua nunc ſubiens præcordia Dæmon*
In genus hoc hominum fundit convitia prava;
Innocuas maleſane etiam qvas eſſe memento.
MIS. *Fœmina rara bona eſt, alboq́ ſimillima corvo,*
Iræ, odij, fictiq́ tenax, & nuncia veri
Nunqvam, litigioſa, bibax, & fœdera ſpernens
Fœmina, nunc nugas ſpargit, nunc prælia & arma
Suſcitat, hev genus infelix immania vultu
Pectora ſub blando geſtans, & ſub cute duram
Permolli mentem, rixas qvàm ſæpe cruentâ
Tot cum cæde creat, vocat & cum ſangvine mortem:
Nunc maledicta refert, preſſoq́ minaciter ore
Murmurat, occultas verſat nunc pectore fravdes,
** Mille modos ulciſcendi ſecumq́ volutat:*
Arte, nec eſt, aſtum, nec erit, per ruſtica juro
Numina, fœmineum toto qvi vincat in orbe.
PHIL. *Hæc tranſit juſtas excandeſcentia metas,*
Omnes cur demens ſceleris ſic arguis omnis?
Absq́ ope, per ſuperos omnes & ſydera juro,
Fœmineâ, non eſt nec erit qvi vivat in orbe:
Et rectè qvicunq́ ſapit lavdet mulieres,
Qvarum animus bona qvæq́ ſedent immota qvietis.
MIS. *His exempla ſatis monſtrant contraria firma,*
Et muliere docent nihil eſſe nocentius unqvam:
SCYLLA *dolis inſtructa malis atq́ arte Pelaſgâ*

Noctu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1

Nocte Patris NISI Ambroſios furata capillos
His NISVS captus technis, & ab hoſte peremptus.
Fravdibus & pius ÆNEAS IVNONIS iniqvæ
Iactatus pelago miſerè, & circum omnia vectus
Æqvora, ſubmerſis inſtructis navibus undâ.
(Ecce venit noſter, congeſtam ceſpite ſepem
Saltu tranſiliens rapido, celeransq́ PALÆMON.)
Suſtulit, infandum, mater (ſed nomine matris
Plus qvàm indigna) ſuam lethali vulnere prolem
Crudelis MEDEA: Qvid eſt immanius unqvam?
Non multis opus eſt verbis oſtendere paßim
Obvia, qvottidiè qvùm tot tentare videmus
Crimina fœmellas omnes, qvibus ima dehiſcat
Terra, vel Altitonans pallentem fulmine ad Orcum
Adigat, ut pœnas dent æqvas fravdis iniqvæ.
Nos menſæ ſumus huic juncti, ſed mente remoti: PHIL.
Et mihi plus juſto lingvacior eſſe videre,
Ni diſcas pravam compeſcere homuncio lingvam,
Efficiam, mihi crede, pedo hoc ne voce laceſſas
Avdaci qvemqvam poſthac: Diſcede PALÆMON.
Qvæ vos, Paſtores, qvæ vos inſania cepit? PAL.
Doctus eras olim lites componere magnas,
Et placidis atram dictis confringere bilem,
Qvas cerno furias? Ventum eſt ad verbera verbis?
Nobile fœmineum genus eſt, qvod pendere parvi PHIL.
Non impunè unqvam licet avt temſiſſe PALÆMON:
Littore (tu vicina vides freta namq́) tenelli
*Errant ſpumoſo * centum cum matribus agni*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1

* Centum, paſcunturq́; pares ætate juvencæ
* Centum, illis mihi ſed mea carior eſto LYCORIS,
Pro qva, ſi poſſem, vellem per ſaxa, per ignes,
Per * centum tranſire lubens diſcrimina vitæ,
Atq́; meam multo cum ſangvine fundere vitam:
Iſtum non tractaſſe pedo hoc me pænitet, iſta
Fundentem maledicta ſuo de pectore turpi:
Eſt etenim dignus laqveo, qvisqvis mulieres
Devovet immeritas, vel opes, ſi vera fatebor,
Exiguas illis qvi non præferre veretur,
Qvùm multas ſuperent gemmas avriq; metallum.

PAL. Virtutis non pæniteat te, Paſtor, honeſtæ,
Iratos etenim eſt Virtus frenaſſe furores,
Paſtoriq; opus eſt mens nil ſibi conſcia pravi:
VIVas LongæVos feLIX feLICIter annos
eXIgat, atqVe patreM faCIat te proLe LyCorIs.

PHIL. Inceptis facilem da curſum ac annue voto
IVPPITER, æterno qvi numine cuncta gubernas.
Sed ſplendor magno rutilans ſubducitur Igni,
Inclinata caditq́; dies, prænunciat imbrem
Garrula limoſis in ſtagnis rana qverelam
Ingeminans veterem; Remanet ſi cura peculi
Cogite nunc pueri diſtentas ubera vaccas,
Lanigeras ſtabulis pecudes numerumq́; referte.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1

Ægt BB 1990

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1051 4° copy 1